

Anacreontem; Gellius enim versus eius vocat lepidissimos versiculos Anacreontis senis: cui quis credat eos tributurum fuisse tantum, et tam acrem, criticum, si essent ab recente quodam poeta profecti? praesertim quum illo ipso loco *Ἀνακρεόντεια*,¹² et Sapphica, distinxerit a poetarum recentium *ἐλαφύλοις* eroticis, ea-que vixerit aetate, qua restarent genuina Anacreontis odaria, ut potuerit eo facilius ab illis discernere suppositicia: ita quum nec illud odarium, e quo Hephaestio, et Pluti Aristophanis enarrator, laudauere duo versus, Anacreontis ingenio indignum videatur, nemini speramus antiquitatem eius, et integritatem, dubiam videri, suspectamque, vilo modo posse. Cur vero tot alia odaria a scriptoribus,¹³ et grammaticis, antiquis neglecta esse putemus, ut nullas ex iis glossas, nullos versiculos, particulas nullas, attulerint; quum tamen in multis eorum multa inueniantur, e quibus de coronis veterum conuiualibus, de ipsis eorum conuiuiis, et comotationibus, de multis aliis rebus ad Bacchum, Veneremque, pertinentibus, illa ipsa disci propemodum melius posse videantur, quae iidem illi homines; auctoritate locorum ex aliis Anacreontis carminibus sumtorum, docere instituerunt? Cur in hoc tanto odariorum numero omnino nullum reperitur, quod Horatius, studiosissimus ille Anacreontis imitator,¹⁴ expresserit? Nonne ea ex re existimari recte possit, si non omnia, at tamen pleraque eorum, post illa tempora composita esse ab aliis poetis, qui experiri ingenii vires vellent in eodem genere carminum, quo Anacreontem scirent tantam doctrinae laudem, et gloriam, esse consequutum? Quid? an conuenire putabimus in haec odaria eas laudes, quibus

Ana-

12. Vid. Gregorius in de dialectis p. 182. Koen. et Suidas v. *Ἀνακρεόντεια* p. 167. To. 1. Neocor.

13. Ut a Stobaeo eclogg. ethic. c. 61. et c. 96.

14. Vid. Stephanus ad odar. 31, 36